

382

380

386

visceribus hujus piscinae immersi. Quod ibi latuit usque ad tempus passionis Christi, et tunc supernatavit, et acceptum crux Christo factum est. Propter dignitatem hujus ligni creditur angelus de coelo descendisse et aquam movisse, post ejus motum unus sanabatur, qui primus in ea cecidit. Ibi Dominus quendam sanavit, qui XXXVIII. annis motum aquae exspectavit, ut patet Joh. V.

Haec piscina nunc nullas habet aquas, sed in ejus medio est quaedam facta cisterna, quae pluviales aquas suscipit. In hoc ergo loco dictis orationibus, ut in processionali signatum est, indulgentias recepimus, (†) et terra deosculata de loco ascendimus, et iterum in vicum priorem transivimus (¶¶¶ A) et ex opposito alium vicum ingressi ad quandam magnam piscinam venimus cum abundantia aqua, quae ab antiquo fuit ibi, et in Scriptura nominatur piscina interior, quam Ezechias rex Juda fecit, et in eam praeter aquas pluviales induxit aquas superioris fontis Gihon incidens ferro petram, ut dicitur Eccl. 48. et 4. Reg. 20. Nam multo studio ab antiquo usque nunc fuerunt in Jerusalem facta aquarum retinacula, ad quae tempore hiemali et pluviali aquae de tectis concurrerent, ut per aestatem civitas aquas haberet. Caret enim sancta civitas aquis propriis et nutritur aquis de coelo vel a longinquo inductis. Credo quod hodie major cura sit, quomodo civitas sancta provideatur de aquis, quam prius umquam fuerit, quia Saraceni continuis et cottidianis baptismatibus utuntur, magis quam Judaei; igitur lavatoria multa habent, et mirabili industria inducunt aquas in Jerusalem. Ut patet fol. 249 A. B.

Ende

Anfang

Peregrinatio vallis Josaphat sequitur.

Visa piscina illa consequenter processimus, et ad finem civitatis venimus in parte aquilonari ad portam, quae olim dicebatur porta Ephraim, quia per eam via est ad montem Ephraim, nunc vero dicitur porta S. Stephani, quia per eam fuit eductus, et extra in valle lapidatus. Per hanc portam est via in Sichem, Samariam et Galilaeam provinciam. Exivimus ergo per portam illam, et quam statim extra venimus,